I N

EQUESTREM STATUAM LUDOVICO MAGNO LUGDUNI POSITAM


ORATIO

Habita in Collegio SS. Trinitatis,

AB ANTONIO VALORIS,

Societatis JESU Sacerdote.

III. Cal. Jan. Anno M. DCC. XIII.




LUGDUNI,

Apud ANDRÆAM LAURENS, unicum Illuſt. Proregis & Urbis ordinarium Typographum.

M. DCC. XIV.

Digitized by Google

Digitized by Google



FRANCISCO NEOVILLEO

VILLAREGIO

MARESCALLO, DUCI, AC PARI FRANCIÆ, LUGDUNENSIUM PROREGI.

Ant. Valoris è Societ. Jesu.

DETERRERET hanc orationem tenuitas ſua, quominùs te Patronum repoſceret, niſi tenuitatem artis majeſtas argumenti ſuſtentaret,

ã

Digitized by Google

PROREX ILLUSTRISSIME. *Enim verò quid offeram tibi dignius te, quàm opus tuum? ſtatuam tu curaſti poni, quam ego laudavi; & à me dicta quæcumque ſunt, à te profecta in te refunduntur.*

Quæ Regi debebas, hoc inclyto fidei pignore perſolviſti; atque debebant tibi Lugdunenſes, hoc inſolubili merito cumulaſti.

Æquum erat, ut Ludovico beneficiorum præberes te ſplendidè memorem, qui ſummis egregiè dignum beneficiis te ſemper præbueras. Æquum erat, ut erigendæ Ludovico ſtatuæ author fores, qui promerendæ toties fueras inſtrumentum. Æquum erat, ut

Digitized by Google

immortalitati Ludovici ſtuderes, qui promeritâ illius benevolentiâ immortalitatem obtinueras.


Sed quid reddat tibi Lugdunum debito par? ſacrum illi & intimis inſcriptum pectoribus Villaregiorum nomen, quorum patrocinio, ſi floret, ſi diteſcit in dies, ſi per orbem univerſum præpotenti commercio viget, id totum acceptum refert. Tuorum tu Majorum, imò & tua in Lugdunenſes viciſti merita, dum ponendæ hos intra muros Ludovico ſtatuæ proſpexiſti: obtuliſti ſiquidem Lugdunenſibus, undè conceſſam filio tuo paterni mu-

Digitized by Google

neris ſucceſſionem exſolverent ; & æternam gratiam æterno monumento repenſarent.

Mihi verò pergratum eſt exiguum hocce perennis obſequii monumentum offerre tibi, non meo tantùm nomine ; ſed & totius noſtræ ſocietatis, quæ Villaregios habuit ſemper Patronos optimos, munificentiſſimos ; ſed & hujus præſertim Lugdunenſis Collegii, quod cum tibi tuiſque plus debeat, quàm quibus maximè, nunquam eſſe ſolvendo, amabit ſemper gloriari. Lugduni pridiè nonas Iulias. Anno M. DCC. XIV.

Digitized by Google



IN EQUESTREM STATUAM
LUDOVICO MAGNO
LUGDUNI POSITAM
ORATIO.

QUOD unum ad antiquæ dignitatis & ad recentis ſplendoris faſtigium deſiderari Lugduno videbatur, illud tandem conſecutum eſt. LUDOVICI MAGNI gloriam ſtupendâ pace cumulatam LUGDUNENSIUM pietas Equeſtri ſtatuâ conſecravit.

Hoc Palladio munitum ſatis, hoc decore ornatum nimis deſinat Lugdunum ulterius quidquam efflagitare. PRÆFECTE MERCATORUM AMPLISSIME, CONSULES VIGILANTISSIMI, CETERÍQUE OMNIUM ORDINUM AUDITORES ORNATISSIMI.

Digna illa Romæ parentis filia, digna Lutetiæ ſororis æmula civitas: ſitu, Romanorum Imperatorum quondam deliciæ: fide, Gallorum Regum hodie præſidium: ſtudio, Religionis avitæ ſemper clypeus: tot illuſtrium virorum parens, tot præclararum artium nutrix, tot antiquis veneranda monumentis, tot inſignita novis, tot ornata titulis parum ornata ſibi videbatur, niſi ad antiquitatem generis, ad celebritatem loci, ad amœnitatem ſoli, ad civium fidem accederet impoſitura dignitati cumulum Regis omnium maximi imago ſpectanda.

Plin. Jun. Epiſt. 17. *Immortalitati* Ludovici *proſpexiſtis pariter & veſtræ*, VIRI LUGDUNENSES; *neque*

Digitized by Google

enim decorum magis & inſigne eſt, ſtatuam habere, quàm ponere; & Equeſtri ſtatua perinde conſecrantur tum immenſa illa Ludovici gloria, quâ Regibus omnibus præſtat; tum inſignis illa Lugdunenſium pietas, quâ populis omnibus antecellunt; geminúmque ſurgit in uno monumentum, alterum gloriæ Ludovico, alterum pietatis Lugdunenſibus, utrumque ex æquo immortale.

In hac tanta luce argumenti, quæ tam egregiè conjuncta ſunt vel obſcurare vel disjungere religio ſit. Dicamus de æternitate gloriæ Ludovici Magni: dicamus de æternitate pietatis Lugdunenſium; & utramque Equeſtri ſtatua pariter aſſertam demonſtremus. Equeſtrem ſtatuam æternum gloriæ monumentum Ludovico Magno, hoc primum: æternum pietatis monumentum Lugdunenſibus, hoc alterum orationis bipartitæ caput erit.

Digitized by Google

PRIMA PARS.

QUÆ tria faciunt ad perennitatem publici monumenti, ea conveniunt in Equeſtri ſtatua ſimul, æternam ut faciant Ludovici Magni gloriam, dignitas cauſæ, præſtantia loci, monumenti magnificentia. Ludovico Magno propter pacatum orbem ponitur ſtatua: ponitur Lugduni: ponitur magnificentiſſima. Adeſte animis, AUDITORES; dúmque triplicem hunc æternæ gloriæ fontem adaperio, diligenter auſcultate.

Non ampla laus donari ſtatuâ: donari ob egregium aliquod factum, laudum ampliſſima. Hinc Romanorum longè ſapientiſſimus, *malim*, aiebat, *ut de me quærant homines, quamobrem poſita Catoni ſtatua non ſit, quàm cur poſita ſit.* inclytum ſanè decus Ludovico Magno, cui propter pacatum implexis hiſce temporibus orbem ſtatua ponitur! Quantus enim cumque ſit undelibet Ludovicus, ſi pacis

Digitized by Google

pacis arduitatem cum ejuſdem felicitate conferamus, erit illud præ ceteris æterno gloriæ monumento conſignandum.

Et ſanè duo erant omninò quibus omnis ad pacem intercludebatur aditus, fœderatorum hoſtium ſtricta conſociatio, inclinata ad illos belli fortuna. Senſit hoc Ludovicus; ſtatuitque diſſociare, quos ad pacem adigere ſociatos operoſius erat; tùm eos vincere, qui propter recentes victorias de pace renuebant audire. At unde rem ordiatur? Quem è fœderatis tentet à ceteris divellere? Quà videtur opus magis arduum, hinc opus Ludovicus aggreditur: quà creditur fœdus firmius, hinc fœdus ſuſcipit labefactandum.

Gentes inter ceteras, quibus erat conjuratio complicata, Gens una eſt ceteris animo firmior, opibus potentior, gloriæ cupidior. Hanc ab ipſis gentis utriuſque primordiis æmulam eſt experta Gallia; ita, ut nec illatæ mutuò clades, nec junctus ſanguini ſæpiùs Hymenæo

Digitized by Google

ſanguis, nec ipſum inter utramque poſitum pelagus veterem & inolitam eradicare penitùs rivalitatem potuerint. In illa poſitum credebatur vinculum fœderis invictiſſimum; & extremos è fœderatis Anglos fore, qui de pace aſſentirent. Miram Ludovici ſagacitatem! Tentantur Angli: commoventur: diſtracti ſunt: quâ temporis opportunitate? cum vincebant, cum vincebant Gallos. Gallos vincebant Angli: Gentem victoriarum pleniſſimam vincebat gens victoriarum cupidiſſima; & in ipſo Triumphorum ſtrepitu ſuaſum victoribus eſt, ut cum victis paciſcerentur.

Atenim quis nodus objicitur! crevit in Angliæ ſinu factio turbulenta, quæ mediis nata adultáque belli tumultibus, bellum, utcumque bellum inclamat. Irrequietis hocce genus hominibus ut faveat, Londinum convolat novus Uliſſes; artemque movet & induſtriam omnem, ut bellum ſuadeat. Vana tentamina, vani clamores, vanus Eugenius. Felici Bri-

tanniæ fato ſceptra tenet moderatrix Regina, quæ, quod Gentis effugit aciem, videat, Angliam triumphis augeri, fortunis imminui: ſubigere provincias, imperium non proferre: vincendo denique periclitari; glorioſiúſque ſibi, parentem ſe præbere pacis, quàm belli nutricem; tutiúſque ſuis, amico frui Ludovico, quàm ventoſis fœderatorum conſiliis deludi diutiùs. Reſpirate Galli: amputatus nodus eſt, ſancitæque induciæ, per quas fœderi facultas adimatur belli ulteriùs protrahendi; & pacis accipiendæ felix neceſſitas imponatur. Fallimur: nuperis inflati ſucceſſibus ad arma convolant acriùs, licet ab Anglis ſejuncti, fœderati; & quos habuit ſagacitate diſſociandos, eoſdem habet Ludovicus vincendos fortitudine, ut opus pacis conficiat.

Sic eſt: qui Gallos ſemel vicerant, vincendam brevì Galliam arbitrati ſunt. Hinc altiores illi ſpiritus, quibus & oblatam deſpectare pacem, & bellum novis animis redintegrare,

Digitized by Google

& ſparſis in vulgus ſatyris fortitudini Gallicæ inſultare auſi ſunt. Si novum Annibalem audias, rejecta Trajecti pax agetur Lutetiæ; occupatúmque Landrecium non difficiliorem aditum in Galliam, quàm in vacuam & caducam hæreditatem aperiet. Tanta ut hæc jactantia comprimatur, haud erit ſatis levis aliqua & ſolita inter hoſtes mutuò reportari victoria: opus fulmine, Gigantæum ut ſupercilium dejiciatur. Factum benè: Gallici Jovis parantur fulmina; dúmque Landrecii fulgurant, Denanii feriunt.

Ludere ſolitus luderis, Eugeni; & dum tua circum caſtra volitantem rides Gallorum frontem, Abermalii valla perrumpit acies; victúſque dolo virtute vincêris, ni labantibus Batavis præſto ſis. Præſto eſt: accelerantem video cum delecta Germanorum manu, certus reconciliare ſuis victoriam. Sed, ô fati intemperies! Ponte ſiſtitur novus Porſenna: hærentes ponti quot milites, tot Horatios ſentit, &

qui

qui venerat, ut fugientes Batavos contineret, hîc cogitur ſtare, vincentes undè Gallos contempletur.

Pugnam itaque contemplare, Princeps inclyte; & inventam cernes fortitudinem Gallicam, quam ut perditam non ita pridem requirebas. Inſpice conſtratos tuorum cadaveribus Denanii campos: hîc pugnat fortitudo Gallica. Inſpice militem mactandis ad ſatietatem fugacibus tuorum turmis defatigatum: hîc vincit fortitudo Gallica: inſpice cæſa tuorum vel capta viginti millia: hîc triumphat fortitudo Gallica. I jam; & Landrecio pande tibi vias in Galliam. Cede retrò potiùs; & Caroli quinti ne pudeat inſiſtere veſtigia. Landrecium explica; quaſve iterùm Aquilas timuit venientes, iterùm fugientes rideat.

At quis tantæ, tam completæ victoriæ fructus exiſtet? omni pretio major. Non occupatos dico labefactandæ Galliæ immaniſſimos apparatus: non Duacum, non Quercetum,

Digitized by Google

non Bochanium, quæ trium annorum labor dum caperentur, trimeſtri opere recipiuntur. Majus aliquid debetur Gallis pro tot Heroïcæ virtutis prodigiis. Quid illud? ipſa pax eáque fortunatiſſima.

Ita eſt AUDITORES: pax illa toties agitata, deſpecta toties, in ipſo victoriæ nata ſinu, ex ipſis victoriæ manibus acceptatur; & quod neque Ludovici magnanimitas, nec ejus oratorum dexteritas efficere potuit, illud peregit Denaniana pugna. Ex illo non eſtis ii, Fœderati, qui Lutetiam agendæ paci audeatis deſtinare. Expertum vobis, quantæ temeritatis ſit, Galliam velle in ipſa Gallia vincere; & qui tanto nuper faſtidio pacem oblatam reſpuebatis, veremini jam, ut à Ludovico concedatur. Conceditur: non quam ſperabatis; ſed quam optare ne nobis quidem licitum abſque ſuperbia fuiſſet.

Fingite ita nos ſemper viciſſe bello, ut belli causâ vincebamus. An aliam dare Gallis pa-

Digitized by Google

cem plures victoriæ potuiſſent, quam poſt tot clades dedit Ludovici ſapientia ? hæc illa pax, quæ Philippi Regna tot belli motibus concuſſa firmet in perpetuum : quæ Gallis priſtinum ſplendorem belli eventibus obſcuratum reſtituat : quæ Ludovicum ipſo ſe majorem repræſentet. Cedat ex Hiſpania Philippus : hæc ſumma fœderis ; cedat Hiſpania Philippo : hæc ſumma pacis. Redigantur ad antiquum orbem Galliæ clauſtra : hæc ab hoſtibus poſtulata ; pace reddantur Galliæ quæcumque bello capta ſunt : hæc ab hoſtibus conceſſa. Ludovico Magno lex imponatur : hæc fœderatorum ſuperba voluntas ; legem dicat Ludovicus, hoſtes accipiant : hæc fœderatorum humilis aſſenſio. His conditionibus ſancita pax : hoc exitu finitum bellum. Meminiſtis, quæ timeremus ; quæ teneamus æſtimate.

Quamquàm illud Batavi ſentiunt, qui non deteriorem habituros fuiſſe pacem prædicant, ſi devicti, ſi Triumphati oratam pacem ob-

Digitized by Google

tinuiſſent. Illud Germania ſentit, quæ obſtinatur ideò bello, quòd pacis adeò proſperæ laudes nobis invidet; atenim dum laureatam pacem invidet, lauros bello metendas offert. Gallorum virtutem non ſuſtinuit Landavia: Teutonici clypeus Imperii Friburgum concidit: noſtris apertum iter in Germaniam; neque hic vincendi, ni reſipiſcat, finis erit. Reſipuit: pacem efflagitat. Felicem nimiùm ſi efflagitatam exoret.

Quid poſſes, LUDOVICE, tractando bellum, ſenſerat orbis ſæpiùs: quid poſſes tractando pacem, nec ipſi noveramus. Jam nos cladium noſtrarum minimè piget, ex quo tuæ gloriæ tam inſerviunt egregiè: belli gloriam cedimus ultrò fœderatis; quoniam illi, licèt inviti, præmia pacis tibi ceſſere. Emendaſti ſapientiâ, quod in Gallos levitate peccaverat fortuna, eò pacis opere glorioſior, quòd uni tibi debeatur.

Hæc illa, VIRI LUGDUNENSES, ponendæ

Digitized by Google

nendæ Ludovico Magno ſtatuæ cauſa, feliciter adeò pacatus orbis. An fuit aliàs unquam illuſtrior ? an alia dignior æterno monumento ? glorietur Heroum ſuorum laudatrix Roma, poſitas ſtatuas Bruto ultori, Pompeio frumentatori, Julio victori : majus aliquid Lugdunum gloriabitur, poſitam orbis pacatori Ludovico ſtatuam. Gratulentur ſibi Pariſienſes erectam Ludovico ſtatuam, quòd poſt reſtitutam valetudinem in urbis Prætorio, miniſtrantibus Præfecto & Ædilibus, epulari publicè voluerit : gratulabuntur ſibi potiori jure Lugdunenſes erectam Ludovico ſtatuam, quòd poſt innumeras clades, plaudente Hiſpania, Batavia flente, fremente Germania, tota mirante Europa Galliam feliciſſima pace bearit.

Dum current mortalibus ſæcula, quæ nos intuemur ſeri nepotes ediſcent, ubi conjecerint oculos in Equeſtrem ſtatuam ; fuiſſe Regem in Gallia, qui dum conclamata crederetur res Gallica ; dum Europa conjurata Gal-

Digitized by Google

lorum cladibus ſuperbiens Galliam ambitione devoraret : tunc , inquam , fuiſſe Regem in Gallia, qui fœderatos hoſtes diſſociarit ; diſſociatos vicerit ; victis pacem impoſuerit. Avidi ſcire , quantus in ceteris fuerit , qui tantus in orbe pacando Ludovicus fuit, adibunt annalium fidem nepotes ultimi ; & ubi ſeriem illam rerum omni fide majorum ſuſpexerint, prædicabunt tamen, illuſtriorem aliâ re nullâ, quàm pace hiſce temporibus impoſitâ Ludovicum ; poſitámque ob pacatum orbem Ludovico ſtatuam æternum ipſi gloriæ monumentum fore.

At alius ſe ſe offert æternitatis hujus ſequeſter certiſſimus, poſita Lugduni ſtatua. Confert ſcilicet plurimùm ad publici monumenti commendationem, loci, quem habet, præſtantia ; ad loci præſtantiam amænitas & frequentia.

Quis autem in orbe locus ponendæ ſtatuæ amænitate ſua Lugduno convenientior ? mit-

Digitized by Google

to ſitûs ſpeciem & ſoli conformationem ſic egregiam, ut in ornanda parandáque naturam credas, ſimul & artem contendiſſe. Mitto urbis amplitudinem & dignitatem: fluminearum crepidinum & pontium munditiem: vicorum labyrinthum & deſcriptionem: domorum numerum & altitudinem: platearum ornatum & elegantiam.

Mitto præ ceteris meritam conſpici urbanam Baſilicam ſubſtructionis magnificentiâ, habitationum multitudine, picturarum venuſtate, cavædiorum ſplendore, hortorum & ſalientium aquarum feſtivitate dignam Hoſpitibus, quos excipit: dignam Civibus, quibus ſervit: dignam Principe, cujus in fronte geſtat imaginem. Hìc ſto, ubi ſtare in æternum debet Ludovici ſtatua; & ex hac una parte, quanta ſit urbis totius amœnitas, licebit conjicere.

Quàm ſplendida area! quàm ad pompam & venuſtatem conformata! quàm tanti Re-

Digitized by Google

gis imagine ſplendore ſuo digniſſima! Fecerit olim, ut Strabo refert, ad Campi Martii amænitatem, quòd juxtà Tiberim poſitus objectis ex adverſo Quirinalibus jugis recrearetur: non eſt quòd invideat elegantiam ſitûs area Lugdunenſis, quæ ad amnis gemini confluentem poſita proſpicit hinc aperta ſpatia & ad alpes uſque liberos campos: illinc molles colliculos, qui vinetorum, aggerum, pomariorum, turrium varietate paſcunt oculos ad delicias. Fecerit ad campi Martii amænitatem, quòd amplus ita foret, ut decurſionibus equorum & curruum liberè pateret: non eſt quòd invideat amplitudinem ſoli area Lugdunenſis, quæ non equorum modò aut curruum, ſed ipſorum etiam exercituum motibus apta ſit. Fecerit ad campi Martii amænitatem, quòd magnificis ædificiis cingeretur: non eſt quòd invideat ædificiorum magnificentiam area Lugdunenſis, quæ procerum domos, aut privatorum ædes nihilò palatiis inferiores quoquoverſùs

Geograph. lib. 5.

ſùs

sùs jam aſpicit ; & quæ deſignatis ubi ædificiis, xiſtis, arborum metationibus aucta erit, Martium campum, ni ſuperet, adæquabit certè. Fecerit denique ad campi Martii amænitatem, quòd ſtatuis virorum illuſtrium longo ordine poſitis ornaretur : nec ornatum etiam hunc invidebit area Lugdunenſis, ex quo Ludovici ſtatuâ decoratur. Statuarum numero vincet Martius campus ; dignitate Lugdunenſis area : pluribus hic egebat ſtatuis, plurium ut virtutum oſtentaret exempla ; unâ hæc opus habet ſtatuâ, omnium ut virtutum exemplar proponat ; unúſque illi ſatis eſt Ludovicus, ut Romanos omnes, quorum ſtatuis coronabatur Martius campus, ad vivum repræſentet. Refers ſcilicet, ubi Ludovici refers lineamenta, felix Statua, Numam in ſuperos, Auguſtum in ſuos ; Catonem in adverſis, Cincinnatum in proſperis ; Scipionem in agendo, in vincendo Cæſarem ; Heroéſque ceteros, quorum ut ſtatuas Martius campus, ita & virtutes Ludo-

Digitized by Google

vicus omnes in ſe uno collectas exhibet.

At Martis nomine commendabatur Romanus campus? Proſpexiſti, LUDOVICE, ne ipſius nominis dignitatem invideret area Lugdunenſis, cùm tuo inpoſterùm vocari nomine * conceſſiſti. Cedat enim verò ex hac parte campus Martius. Fabuloſum illi nec illuſtre, niſi commentis & mendaciis, nomen: magnum veritate magis, quàm appellatione Ludovici nomen; nullis, quàm ipſius orbis terminis contractum; jámque pridem relatum aſtris, ſi vixiſſet iis temporibus Ludovicus, in quibus Deos inter adſcribebantur, qui collati Ludovico vix Heroes haberentur.

* Edicto ſancitum, ut quæ *bella-curia* priùs dicebatur, area Ludovici Magni deinceps appelletur.

Sed quantò augetur hæc loci amænitas incolarum frequentiâ? ſit Lugduno civitas vaſtior; haud erit pro vaſtitate frequentior. Nihil hîc vacuum, nihil otioſum: ab imo tabulato ad ſummum faſtigium occupata omnia, omnia plena: vel minimus angulus, vel anguſtiſſima ædium projectura ſuum habet ha-

Digitized by Google

bitatorem aut hoſpitem ; ita ut in una domo domus ſoleant eſſe multæ, raráque Lugduni ſit unius domini domus. Hinc in urbe tota civium multitudo tanta, ut ſi pergat per vicos recens hoſpes, neget reſtare quemquam in ædibus : ædes ſi ſubeat, neminem jam ire per vicos ſentiat : explicatos in æquore cives ſi conſpiciat, Lugdunum dicat cum Scaligero * novum orbem in orbe antiquo, antiquum orbem in orbe novo. Erit hæc Ludovici ſtatuæ Lugduni poſitæ glorioſa ſors, ut à civium plus centum millibus in diem ſalutetur. Adde civibus advenas ; & nova dignitatis acceſſio fiet.

* In Epigrammate ad interiorem urbanæ Baſilicæ faciem aureis grammatibus ſcripto.

Sit Lutetia Galliæ caput : Galliæ gremium ac veluti totius Europæ centrum Lugdunum erit. Teſtes illæ quatuor Imperatoriæ * viæ ab Agrippa cœptæ, confectæ ab Auguſto, quibus ab Oceano mari, à Mediterraneo littore, à Pyrenæis montibus, à Rheno flumine confluentes ex ultimis Europæ finibus populi Lug-

* Broſſette Elog. Lugdun. l. 1. c. 13.

Digitized by Google

dunum rectà commodéque ducebantur. An minor hiſce noſtris temporibus ille concurſus? hûc commeant, hîc commorantur cunctarum gentium homines; ita ut quod olim de Athenis, illud de Lugduno dici meritò queat, Populorum omnium civitatem eſſe. Quanta erit itaque Ludovici gloria, cum ex omni propemodùm natione viri ſtatuam contemplati vera recognoſcent eſſe quæcumque de Ludovici majeſtate detulit apud illos fama? hoc aſpectu ſtimulatus in quolibet amor Patriæ ſuum cuivis revocabit Heroem,quem in Ludovici lineamentis expreſſum ſe credet intueri; Carolum quintum Hiſpanus, Magnum Othonem Germanus, Anglus Henricum ſeptimum, Guſtavium Adolphum Suecus, aliíque alium: reverſíque omnes in Patriam conterraneis viſam ſtatuam efformabunt; ita ut præſens locis omnibus imagine ſit, qui præſens omnibus temporibus virtute futurus eſt.

At ab argumento tam ubere, tam jucundo dicentem

Digitized by Google

dicentem revocat ipſius ſtatuæ magnificentia; nec Ludovico Magno ceteris parciorem gloriæ fontem adpromittit. Unde, velim, è tot, è tam variis veterum ſtatuis tam paucæ ad nos uſque pervenerunt, niſi quòd in ponendis prodiga, in conficiendis avara erat antiquitas? & verò oblatam à Corinthiis recuſavit ſtatuam Alexander, teſtatus *diſplicere ſibi turmalem.* Feliciorem Alexandro Ludovicum, cui digna ſe ſtatua oblata ſit! magnificentiores Corinthiis Lugdunenſes, qui dignam obtulerunt, quæ à Ludovico acceptaretur! Plin. de viris Illuſt.

Et ſanè undecumque ſpectetur ſtatua, dignitati Principis magnificentiâ reſpondebit. Si materiem inſpicias, Ænea eſt: ſi formam, Equeſtris: ſi magnitudinem, Coloſſea: ſi habitum, Heroïca: ſi ſimilitudinem, ad vivum expreſſa. Quis viſâ non obſtupuit? quis ſenſus illos admirationis, quos movet ipſâ Ludovici præſentia, aſpectu ſtatuæ non eſt ex-

Digitized by Google

pertus ? quis ſingulas ſtatuæ partes contemplatus non agnovit illud caput, in quo fata volvuntur Orbis ab annis plus ſeptuaginta; illud os, è quo tot oracula prodierunt; illas manus, quæ tot beneficia largitæ ſunt; illud brachium, quod tot conjurationes profligavit; illos pedes, qui tot hoſtiles provincias vincendo peragrarunt; illud pectus, in quo tot virtutes fixere ſedem; prope divinam illam majeſtatem, quæ infigitur eò validiùs mentibus, quòd artis conatus omnes eludit. Singula quis contemplatus non exclamet: is erat Ludovicus, cùm acies inſtruebat, Populos domabat, Provincias conficiebat: is erat Ludovicus, cùm hoſtium conſilia deturbabat, ſociorum jura aſſerebat, Regum dignitatem protegebat: is erat Ludovicus, cùm in Africa Tripolenſibus veniam condonabat, in Aſia Siamenſibus tutelam concedebat, in America pacem Canadenſibus imponebat: is erat Ludodovicus, cùm in Gallia Leges in melius refor-

Digitized by Google

mabat, ſingularium certaminum furorem comprimebat, Religionem vindicabat, Hæreſim profligabat, Rem maritimam reſtituebat, Commercium adaugebat, Artes inſtaurabat, Litteras promovebat.

Sed quis novus ſplendor, & inaudita hactenùs magnificentia? elaboratur exquiſitiſſimi marmoris & æris immenſa vis, quæ ſtatuæ baſim & ſtylobatam inducat; & induſtriæ quidquid habent artificum manus adhibitum eſt, ut digna monumento moles ſtruatur. Huc oculi, quotquot eſtis præclarorum operum ſtudioſi, & artis miracula ſuſpicite. Nihil hîc alienum, nullum è fabularum commentis repetitum ornamentum: ipſe Ludovicus argumentum apparatûs ſuppeditat. Hîc Arar, hîc Rhodanus gaudent æneis oculis in Ludovico ſuſpicere amorem Tagi, terrorem Danubii, domitorem Rheni, frænatorem Scaldis. Hîc urbes captæ, domitæ Gentes, confectæ Provinciæ Ludovico tropæa po-

Digitized by Google

nunt, tantáque in figuris omnibus dignitas, elegantia tanta, ut hæreas dubius, an illas referre cupidum marmor, cupidum æs artificibus ſe ſe nullo labore tractanda permiſerint; an ipſos artifices in vincenda marmoris æriſque duritie laudis ſtimulus aut Principis amor, ſolitò ingenioſiores effecerit.

Immortali non egebas ſtatuâ, LUDOVICE, ut immortalis nomine, famâ, virtute fores. Immortalem tamen dicamus tibi ſtatuam, ut de ſe mortales vultus immortalitati conſecremus. Vive diu: vive, donec Regius ille Infans Gallorum amor, ſolatium, ſpes, tuis efformatus manibus ad Galliæ felicitatem, ad hoſtium terrorem, ad Orbis admirationem, Patrem pietate, Avum animo, Proavum factis ſimul & virtutibus referat. Vive diù, nunquam Lugduni moriture Princeps; poſitum ſiquidem gloriæ tuæ monumentum nulla vetuſtas exedet, nullúmque patieris gloriæ detrimentum, dum extabit ob pacatum Orbem poſita

Digitized by Google

ta Lugduni ſtatua magnificentiſſima. Illam æternum gloriæ monumentum Ludovico Magno vidiſtis, Auditores : eamdem æternum Pietatis monumentum Lugdunenſibus pars Orationis altera demonſtrabit.

SECUNDA PARS.

Fluxit ex amore in Principes ſtatuarum conſuetudo ; ſíque tyrannis aliquandò poſitæ ſunt, inviti qui poſuerant, ſponte deturbarunt. Antiquum Lugdunenſibus Reges amare, colere, obſervare : obſervantiam, cultum, amorem æternitati conſecrare, hoc novum. Et ſanè ubi Lugdunenſium pietatem in erigenda Ludovico Magno ſtatua contemplor, ornatam illam intueor duplici titulo, quorum utroque aſſeritur immortalis : perſpicacitatem dico & alacritatem. Perſpicax fuit Lugdunenſium pietas in ſeligenda erigendæ ſtatuæ opportunitate ; alacris in erectione ſta- Caſſiod. lib. 8. Epiſt. 2.

Digitized by Google

tuæ peragenda ; digna ex gemino capite, quæ remotiſſimis temporibus ad exemplum proponatur.

Oblatæ rei pretium facit inprimis in offerenda re opportunitas ; intempeſtivus ſiquidem honos injuriæ vertitur, & placere omninò neſcit, qui tempus neſcit aucupari. Perſpicaces enim verò Lugdunenſes, qui erigendæ Ludovico ſtatuæ legerunt tempus ſic opportunè, ut quàm glorioſum Ludovico eſt, ob orbem pacatum habere ſtatuam, tam ſit illuſtre Lugdunenſibus dum pacatur orbis ſtatuam Ludovico poſuiſſe.

Paulum Æmilium noſtis, quicumque noſtis res à Romanis præclarè geſtas. Hic cùm, peractis feliciter plurimis bellis, de Perſeo Macedoniæ Rege triumphaſſet, *Tarſenſes petiverunt à ſenatu, ſibi ut liceret ſtatuam Æmilio ponere ; cumque ab ipſis ſenatus peteret, cur tam ſerò, & num jam dudùm dignum putaſſent ; à Tarſenſibus reſponſum eſt, ſe*

Apopht. Veterum.

Digitized by Google

expectaſſe digniſſimum. Veſtram fidem, AUDITORES: quis in Tarſenſibus Lugdunenſes non agnoſcat? haud ſegniùs, quàm ceteri Galliarum populi in Ludovicum animati, illum ſtatuâ dignum jam dudùm putaverant; at ceteris perſpicaciores, ut ſtatuam ponerent, expectarunt digniſſimum. Ex primis Ludovici miraculis miraculorum ſeriem videntur augurati, opúſque ſtatuæ ſic dirigunt, quaſi futura Ludovici fata animo vel amore potiùs intuerentur præſentia.

Ita ubi conflatam Auguſtæ Vindelicorum & imminentem Galliæ procellam incipis, LUDOVICE, in auctorum capita regerere, ſolemni Senatûs Populíque Lugdunenſis conſulto Equeſtris ſtatua tibi * decernitur. Cur autem *1688.
in hac tam illuſtri Galliæ, tam glorioſâ Ludovico rerum facie decreta ſtatua non erigitur? an erit opportunitas major, quàm debellata, quàm fortitudinis & ſapientiæ prodigiis redacta vel invitè ad pacem Europa?

Digitized by Google

magnum illud; majus aliquid tamen reſervatur Ludovico: & illud eſt quod præſagiunt, quod expectant Lugdunenſes, ut decretam ſtatuam erigant.

Ubi Ludovicus Magnus ſupplicibus Hiſpanorum votis Regem impertit; & illatas Hiſpaniæ clades Philippi largitione redimit cum fœnore, longo marium & fluviorum ambitu Lugdunum ſtatua * deportatur. Quid expectatis, LUGDUNENSES? an eſſe poterit in Ludovici faſtis aliquid illuſtrius, quàm Hiſpaniam tamdiù Gallorum Regibus infenſam, Regem à Ludovico Borbonia de gente flagitare? quàm ex æmula Galliæ clientem fieri, & hinc quærere ſalutem, tot unde vulnera receperat? nonne magnum ſatis in Ludovico, nonne dignum ſtatuâ, malle alienum Imperium labens ſuſtinere, quàm amplificare ſuum; Regna cedere, quàm obtinere; Hiſpanis conſulere, quàm Gallos novis ditionibus augere? illuſtrem adeò ponendæ Ludovico ſtatuæ ſi permittitis

* Fuſa Lutetiæ, invecta per ſequanam in Oceanum; deinde, trajecto Gadium freto per Rhodanum Lugdum venit 1701.

mittitis opportunitatem elabi, vereamini, ut renaſcatur.

Id vereantur qui de Ludovici fatis ſentiunt minùs ſplendidè. Altiora ſapiunt Lugdunenſes, quàm ut imminui aliquandò poſſe Ludovici gloriam arbitrentur. Dent annos Ludovico Superi : hoc unum vovent, certi non ipſis defuturam ponendæ ſtatuæ opportunitatem prioribus, licet illuſtriſſimis, illuſtriorem. Augurio fidem eventus attulit. Exit è nubilis ſol pulchrior : ſurgit è ſomno valentior Hercules : ex atrociſſimi belli turbinibus emergit Ludovicus eò glorioſior, quòd Philippum ſervaſſe Regem, quàm feciſſe; Galliam retinuiſſe integram, quàm olim ampliaſſe, majus, ut erant tempora, Ludovico fuit. Illud erat quod pietate proſpiciebatis, VIRI LUGDUNENSES: illud erat, quod paratæ tot ab hinc annis ſtatuæ fata reſervaverant. Expectabatis digniſſimum, digniſſimum habetis. An erit etiamnùm ſtatuæ mora? nulla

mora eſt, AUDITORES. Supremus Ludovici gloriæ cumulus videtur impoſitus; extrema Ludovici ſtatuæ manus imponitur; & quàm fuit in eligenda opportunitate perſpicax, tam in erigenda ſtatua ardens & alacris eſt Lugdunenſium pietas.

Vix ſancita pax renunciatur, & Ludovicum orat Lugdunum, paratam ut ſtatuam patiatur per tantam Galliæ felicitatem in ſplendidiſſima civitatis area poni. Quid Lugduno Ludovicus? quod olim Plinio Trajanus: *ſtatuam poni mihi à te eo quo deſideras loco patior, ne impediſſe curſum erga me pietatis tuæ videar.*

Plin. Jun. Lib. 10. Epiſt. 25.

Lætare, LUGDUNUM: nota Ludovico tua in illum pietas, non recens hæc & erumpens è veſtigio; ſed diuturna, ſed perpetua, cujus impedire curſum Ludovicus gravaretur. Et ex illo pietatis fonte manavit, AUDITORES, ardor ille & celeritas in extruendo monumento tanta, vota ut omnium æquave-

Digitized by Google

rit, ſpes ſuperarit. Vix Lugduno facta poteſtas erigendæ ſtatuæ; & jam in profundiſſimis terrarum viſceribus fundata moles incipit rupes oſtentare, quibus devehendis propemodùm impar amnis uterque fuerat.

Edicta à Romano Senatu ubi ſtatua fuerat, urbium Præfectis res agenda demandabatur; nec poterant illi, ſi præſertim Imperatoria foret ſtatua, moras afferre, quin magiſtratu depellerentur. Apage ſervilia hæc diligentiæ & alacritatis incitamenta. Non timoris opus, ſed amoris Lugdunum extruit: moræ impatiens amor labores urget; nec datur lapidi quies, donec amori perfectus labor fecerit ſatis. Operi præſunt, qui decreverunt; nec infra Conſulem judicant, quidquid è gloria Principis eſt. Pulchrum ſanè inſignes æquitate, ſapientiâ, publicæ rei ſtudio Magiſtratus, poſt aſſerta urbis fata, è tribunali tranſire in mediam lapidariorum turmam, ubi non indecoro pulvere ſordidi operas excitarent

Lemæus Tract. de ſtat. c. 13.

Digitized by Google

præſentiâ, regerent conſiliis, liberalitate acuerent. Pietatis alacritatem illam haud explet ſolaris lux; fatigatíſque diurno labore manibus recentes ſuccedunt, quæ ad faces & cereos promoveant opus, dum à requietis ipſæmet excipiantur. Nequicquam hyemis acerbitate interrupta pendent ubique opera: dum glacie ſiſtitur geminus amnis, rapidiori motu fertur igneus operariorum ardor. Illos diceres in erigenda Ludovico ſtatua Ludovicum ipſum auſos æmulari, cujus virtutem retardare unquam aut reſtinguere nulla temporum injuria vel intemperies potuit.

Ferunt annalium monumenta Tergeminos illos fratres, quorum virtuti permiſſa olim Albanorum & Romanorum fortuna fuit, ad Liv. lib. 1. ſingulare certamen concurriſſe, *magnorum exercituum animos gerentes*. Liceat in re diſpari par aliquid obſervare: liceat de monumenti Lugdunenſis ædificatoribus dicere, ad opus exiſſe illos magnæ urbis gerentes ſtudia.

Enim

Digitized by Google

Enim verò quis civium publicæ pietatis monumentum pietate propriâ non fecit ſuum? quis votis non promovit? quis ſollicitis pluries oculis non luſtravit? hinc ingens in urbe lætitia, ubi moles optatâ celeritate ſurgeret; anxietas ſumma, ſi vereretur, ne caſu aliquo retardaretur; triumphus ſuaviſſimus, cùm perfecta incredibili alacritate baſis, Ludovici ſtatuam æternitati deportandam excepit.

Erigere, ſuperbum Regis maximi lineamentis Simulachrum; & animos imple grandi ſpectaculo: ſublime oſtendere civitati, cujus excipis oculos, vota cumulas, aſſeris felicitatem. Hûc Hûc, ingentes Cæſaris Auguſti Manes; & hanc Ludovico magno Lugdunenſium pietatem invidete. Convenere * Nationes Galliarum ſexaginta, vobis ut ara ſurgeret ævum noſtrum non æquatura: annos computaturam æternos ſtatuam Ludovico Magno Lugdunum conſecrat.

* Ara Auguſto Cæſari à 60. Galliarum nationibus Lugduni conſecrata, cujus veſtigia extant propemodùm nulla.

Parùm ſcilicet Lugdunenſium pietati viſæ

ſunt oblatæ Ludovico fortunæ, opes, vita: parùm de rebus illius proſperis teſtata toties gaudia, de adverſis tacitus dolor: parùm indictus in ſingulos annos & habendus ex hoc loco Ludovici * Panegyricus. Tanti Regis in hanc almam civitatem benevolentiæ memores, publicam fecerunt illius imaginem, ut quem abſentem diligunt, præſentem colant in effigie. Et verò cui noſtrum non contigit optare centies Ludovicum Magnum oculis intueri? pia quidem, ſed inania vota in multis, qui vitæ vel inſtituto, vel domeſticarum rerum onere coguntur à Ludovico procul dies vivere. Erit nobis deſiderii ſolamen tua, LUDOVICE, ſtatua. Illam adibimus venerabundi; annos tibi de noſtris ad ejus intuitum plurimos apprecabimur; útque ad ſolis aſpectum novis ſpirabat animis Memnonis ſtatua, ad tuæ conſpectum ſtatuæ novis ſtudiis, novâ pietate ſpirabimus.

* Annua præmia à Magiſtratibus fundata 1711. diſtribuuntur ſcholaſticis utriuſque Collegii, habito priùs Ludovici Magni panegyrico 25. Aug.

Neque de præſentibus tantùm bene meri-

Digitized by Google

riti eſtis, VIRI LUGDUNENSES: veſtram in Ludovicum pietatem filiorum filiis nepotúmque nepotibus ſtatuâ tranſtuliſtis. Hæredes fortunarum, virtutum hæredes erunt; & quem tantâ obſervantiâ colitis, maximo cultu proſequentur. Felices, exclamabunt, quoties Equeſtrem ſtatuam intuebuntur, felices majores noſtros, quibus ſub tanto vivere Principe conceſſum eſt! felicem ætatem, quam immortali gloria cumulavit! felicem Galliam, cujus ad remotiſſima tempora decus & otium aſſeruit! felix Lugdunum, à quo tantum fidei & obſervantiæ monumentum erigi ſibi paſſus eſt! felices nos, quibus majorum pietas tanti Principis ora tranſmiſit!

Ibit ex æquo cum Ludovici gloria Lugdunenſium pietas. Dùm geminus amnis vectigales ex Provinciis opes frugeſve Lugdunum devehet, redibit implicatiſſimis temporibus pacatus orbis, & ob pacatum orbem

Digitized by Google

poſita ſtatua : quoties de Trajectenſi pace mentio erit, erit mentio de Lugdunenſi monumento; & quoniam de Ludovici gloria in orbe pacando nulla ſilebit ætas; de Lugdunenſium pietate in ponenda ſtatua omnis ætas meminerit.

Quàm ſolemnis in faſtis, quàm ſacer ille * dies, quo certantibus gaudio cum plebe nobilibus, fluentibus paſſim vini fontibus, armatis ad pompam immenſo numero civibus, lucente feſtivis ignibus aëre, tubarum & timpanorum, tormentorum & fiſtularum fragoribus perſonante, reddentibus circùm Ludovici nomen collibus, Equeſtrem Ludovici Magni ſtatuam Lugduni Magiſtratus reverentiſſimo apparatu conſecrarunt.

*28.Decemb. 1713.

Vivite in ævum, felicia liberalitatis monumenta, excuſa tanto pretio, tantâ arte * Numiſmata; & hujus diei gloriam per orbem diſſeminate : primarium nullo pudore in eruditis ſcriniis locum habete : cedant Cæſarum,

* Lud.Mag. Vict. Pacif. Prorex, Præf. & Coſſ.Lug. poſ. Quòd bellis ampliùs ſexaginta feliciter confectis orbem pacavit anno Regni LXXI.

Digitized by Google

rum, cedant Heroum Numiſmata, & virtuti Principis, cujus imago eſtis; & commendationi facti, cujus monumenta vivitis; & civium pietati, quam aſſeritis æternitati.

Tu verò, LUGDUNUM, debitas repende grates VILLAREGIO, qui pro ſua in Ludovicum obſervantia ſagaces erigendæ ſtatuæ curas admovit. Atenim dum uni Ludovico videtur ſtuduiſſe, ipſe ſibi, nec opinanter, ſtuduit; expreſſa ſiquidem in Equeſtri ære ubi redibit Ludovici gloria, redibit, laborum periculorumve comitem adſtitiſſe Ludovico ſemper Villaregium; & ex iis quæ circa ſtatuam tropæa ſurgunt, fuiſſe plurima, quæ debeantur Villaregio. Ubi Ludovici ſapientia prædicabitur, prædicabitur & illius in Villaregium conſtans diuturnáque benevolentia, cujus inter monumenta gratiſſimum illud nobis accidit, quòd Paterni ſucceſſor muneris dignus Parente filius, ſit à Ludovico deſignatus; aſſertáque Lugduno votorum ſum-

Digitized by Google

ma, æternum Villaregiorum Patrocinium.

Cujus operis fuiſti deſignator, in hujus laude partem tibi vindicas maximam, PRÆFECTE MERCATORUM AMPLISSIME. Acceptus Regi, qui pro ſua in æſtimandis hominibus ſagacitate Lugduni curam, inaudito hactenùs exemplo, tibi quartùm demandandam judicavit, conſignatam æterno monumento beneficii memoriam voluiſti: devotus Lugdunenſibus, quibus tanto civitatis commodo tamdiù præfuiſti, æterno illos merito voluiſti devincire. Addet ipſi monumento decus, quòd tunc poſitum ſit, cùm tu res ita Lugduni tractares, ut difficillimorum temporum acerbitas, tuâ tum ſapientiâ tum uſu vinceretur; cum civibus æquitate, Primoribus ſollertiâ, omnibus humanitate, quam geris dignitatem, in te venerandam oſtentares.

D. LUD. RAVAT.

Studiorum æmuli, participes eritis gloriæ, CONSULES VIGILANTISSIMI. Sagaci publicarum rerum adminiſtratione & ſedu-

D. D. JAC. BOURG, CÆS. FERRARY, CL. TROLLIER, LEON. BORNE.

Digitized by Google